

fidem , annulum sibi per noctem a Divo traditum , e sinu protrulit . Defixit primo omnes qui aderant miraculi magnitudo : inde publicæ privatæque gratulationes cœlitibus ipsis circa aras habitæ , quorum præsenti periculo civitas liberata esset . Seni stipendum ex publico decretum . Per id tempus legati ab Edoardo Britanniæ Rege Venetas venere , maritima auxilia pe-tentes adversus Philippum Galliæ Regem , cui Genuenses enixe favebant : nec , quamvis Regis nomine multa pollicerentur , auxilia ulla impetrarunt . Docuere Patres in quanto discrimine esset imperium maris , quod a Turcorum incurfibus vix as-fiduis expeditionibus tueri possent : tantum Christianorum de-sidia eorum vires invaluisse , dicere , ut ducentas longas naves , ac quum paululum adniti vellent , trecentas in Christianum nomen instruerent . Cretenses quidam reguli circa hæc tem-pora rebellarunt : hi arcæ & castella in montanis locis tuentes magnam insulæ partem infestabant . Ad eorum motus compri-mendos vis peditum ingens missa est : quibus in naves longas , quæ ad Cypriam negociationem exibant , impositis , Nicolaus Phalerius , Justinianus Justiniani cognominis , & Andreas Maurocenus præfuere . Ubi vero in insulam ventum est , tri-partito in hostes movere : qua maxime opus fuit , se se hostium conatibus objicere , occurrere ubique illis , nihil tutum eis re-linquere , nullam prorsus prædandi occasionem . Edictum ad hæc præposuerunt , ut quicunque rebellium regulorum ali- quem aut obtruncasset , aut vivum ad Veneti magistratus præ-sentiam perduxisset , non parvam in singula capita mercedem acciperet : verum quam magna præposita sit , auctores quos vi-dimus non tradunt . Paucis itaque diebus in Venetorum po-testatem redacti meritas sui sceleris pœnas luerunt : multi aquis mersi , plures suspendio necati . Quæ res effecit , ut insulani regulorum supplicio territi , ad imperium brevi postea redierint . Pacata insula , copiarum Præfecti , Nicolao Phale-rio defuncto , Venetas redierunt . Ingens annonæ caritas to-to Gradonici Principatu in urbe fuit : sed ducatus ille admo-dum brevis : quippe qui duos annos & menses novem non ex-cessit . Ille quum tantisper Rempublicam administrasset , ex humanis decessit : corpus ejus in Aureæ ædis vestibulo est situm .

*Cretenses
rebellant .*